

## P R A E F A T I O

videbis, Animaduersionibus, quae in Xenoph. Memorab. Lipsiae 1769 prodierunt, non est quod hic dicam, cum illarum praestantia utilitasque fat sit nota.

Vt vero argumentum singulorum capitum copiosius enarrarem, in eo facile consilio Ill. Heynii, qui, ut id facerem, me per litteras cohortatus erat, parendum esse duxi, ratus, ita eo facilius a tironibus modum differendi summamque disputationum Socraticarum et nexum rerum posse teneri et perspicui. Tironum etiam gratia in dialogis ad colloquentium orationem discernendam signum ¶ inferendum esse existimaui. Nam interdum intellectu esse difficilius, vtri colloquentium oratio esset tribuenda, partim ex distinctionibus vulgo inductis, partim aliunde intellexi. Quocirca ut breuior esse possem, nec subinde nota aliqua indicare cogerer, a quo nouae orationis fieret initium, eadem signa adhibui, quae iam Gesnerus ad Horatiana colloquia distinguenda cum fructu induxerat.

Ante vero quam praefandi facerem finem, non ingratum Xenophontis studiosis me facturum putavi, si lectiones codicis et ingeniosas emendationes ad loca nonnulla Xenophontei libelli de Venatione addidero, quas Ill. Brunkius misit mihi pro singulari erga me liberalitate. Cap. I, §. 6 pro Θεὸς ὧν exhibet codex Θεὸς ὡς. §. II idem codex comprobat lectionem illam, iam aliunde notam, ἐν λόγοις συνῆν pro ἐν λόγοις ἦν. Cap. II, 5 pro ὑφείσθωσαν δὲ τὰς περιδρόμους ἀναμμάτεις est a manu prima ἀφείσθωσαν δὲ τὰς περιδρόμους ἀνάμματα, sed pro τὰς περιδρόμους recte supra scriptum est οἱ περιδρόμοι. Mox §. 6 post δωδεκάλινα est vulgo lacuna, ut patet ex ipso Pollucis loco; illam codex supplet verissime ita: τὰ δὲ δίκτυα ἐκκαίδεκάλινα. Cap. III, 4 est ἄκρα δὲ τῆς ἐρᾶς σεισιν pro vulgari ἄκρα δὲ τῆ ἐρᾶ σεισιν. §. 6 pro τρέμει, quod sane alienum est, acute vidit Brunkius legendum esse ἀτρεμῆσι. Cap. IV, §. I sub finem pro περικνᾶ commendat ἐπίρικνα, id quod iam a nobis receptum est in textum: sed rectius explicat per  
ἔσαρ-